

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eñi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I — DE VICARIO COOPERATORE QUOAD MATRIMONIA

D. An vicarius cooperator *ratione officii*, de quo in canone 476 § 6, matrimoniis valide assistere possit.

R. Negative.

II — DE IURE FUNERANDI MONIALES

D. Utrum parrocho an cappellano, ad normam canonis 1230 § 5, competat ius funerandi moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas iuxta canonem 615.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III — DE TRANSMISSIONE ACTORUM CAUSAE

D. An sub verbis *acta causae*, de quibus in canone 1890, veniant omnia acta iudicialia.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 31 mensis Ianuarii, anno 1942.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*.

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius*.